Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 821
Quelle:
Copyright:

Si tibi divicias queras per cuncta, quid inde,
Mirificas gemmas et aromata multa, quid inde &c.

In fine alia adjectum manu:

Explicit hec nichili que pendit epistola mundum
Orbis edens facinus miseros variosque labores.

Epistolae hujus meminere *Oudinus* et *Pezius citt.*

XXII. *fol.* 115. *Incipit Tractatus de Contractibus Magistri Hainrici De Oyta.* Prologi initium: *Diligite iusticiam qui iudicatis terram, sap. primo Cap.* Constat *Capp.* XIX. quorum *Primum* sic orditur: *Utrum constitui redditus pecuniarum uel aliarum rerum scilicet bladi vini et huiusmodi in re aliqua uel persona licitum sit* &c. Et sic quovis *Capite* alia resolvitur Quaestio. Extrema sunt: *sed si ignorante domino datum sit et ratum habuit, pignus valebit.* Ad calcem minio: *Explicit tractatus de contractibus. M. H. de Oyta.* Meminit illius post *Trithemium Gesnerus* in *Bibl.* et *Possevinus*, qui etiam *Gersonis* Operibus adnexum ajunt. De editione *Gersonis Coloniensi suprac.* 1484. sermonem illis esse putem; qui enim in posterioribus editionibus *Gersonis* comparet *Tractatus de Contractibus* omnino a nostro differt. Vide edit. *Antverp.* reipsa *Amstelod.* 1706. T. III. P. 1. p. 166. Addit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.* T. III. L. 8. nostrum etiam separatim lucem vidisse. Utinam et locum et annum addidisset!

XXIII. *fol.* 148. Sermones II. Prior *de Festo dedicationis* in illud: *Pax huic domui. Matth. et Luc.* 10. Initium: *Cogitanti mihi ob reuerentiam presentis festiuitatis* &c. Alter in illud: *Preceptor per totam noctem laborantes nichil cepimus. Luc.* 5. Initium: *Diuersi pisces in mari significant diuersos peccatores* &c. Ad finem Sermonis Pisces enumerati in tres *Versus* memoriales rediguntur.

XXIV. *fol.* 155. Redit *Augustinus de Sanitate anime* supra N°. X. indicatus.

XXV. *fol.* 157. p. 2. *Questiones Magistri Hainrici de Gandauo in primo quolibet questione 35. de contractibus.* Sunt vero sequentes: *Utrum liceat emere redditus ad vitam. Utrum sit licitum vendere redditus ad vitam. Utrum emere vilius et incontinenti vendere carius sit peccatum.* De autore *Henrico Goedhals* seu *Bonicollio* Can. et Archidiac. *Tornacensi*, qui in Academia Parisina *Doctor Solemnis* audiit, obiitque 1293. vide *J. Fr. Foppens Biblioth. Belg.* T. I. p. 445. *Quodlibeta* ejus in IV. Libros distincta lucem videre *Paris.* 1518. et *Venet.* 1613. f. Adfertur in *Bibl. cit.* etiam separatum *Quodlibetum de*